



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

Cap. I. Vtrùm simplex obedientiæ votum, & honestum, & in consilio sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

Virum simplex obedientia votum, & honestum & in consilio sit.

1.
Error
hereticorum

Heretici non minus reiciunt obedientiam consilium, quam cetera, nec minus contemnunt obedientiam votum, quam alia. In quo errore fuerunt olim Lampetiani, ut eos Prateolus appellat lib. 10 in principio, ubi eos existimat fuisse An. 132. tempore Innocentii, Sixti, & Caroli IV. eod quod Wicleph. qui prope illa tempora fuit in eodem errore, cum illis confentit. Leuis quidem coniectura, potuit enim eorum errorem Wicleph. excitare, etiam si multo esset antiquior, ut reuera fuit. Nam illorum hereticorum meminit Damasc. qui ante non gētos annos fuit, in catalogo heresiaci sui, eosque Lampetianos, à Lampetio appellat. Eundem errorem postea sequuti sunt Waldenses, Begardi, & Begina, ut Casto refert verb. Obedientia, & tandem Lutherani, & omnes noui heretici, qui ut Bellar. refert lib. 2. de Monach. c. 8. in summa dicunt promittere obedientiam homini in cultum Dei, superstitiosum esse, & sacrilegum, promittere autē obedientiam ei, cui alias non debetur, alio sine extra cultum Dei stultum esse, ac proinde malum. Adde etiam possent videri contra ius, & institutionem naturae, quae hominem fecit liberum, ipse autem se reddit captiuum, dum alteri obedientiam promittit.

2.
Consuetudo

Sed haec sententia planè haeretica est, quae nunc generali ratione redargui potest, nam vel hanc obedientiam reiciunt, quae ipsa bona non sit, vel quia votum de illa non fit pium, ac sanctum, utrunque autem est planè falsum: ergo. Minor quoad posteriorem partem probata erit demonstrando priorem. Si enim ostenderimus hanc obedientiam esse honestam, & per se loquendo, & cum debitis circumstantiis sumptā esse ex melioribus bonis, quae sub consilio sunt, euidēter constabit iuxta principia superiora posita, & probata, etiam votum eius ex se optimum esse, ac Deo placitū, quia per se honestum est Deo promittere in cultum, & obsequium, id quod est melius, & ad perfectionem assequendam vtilius; & quia si obedientia bona est, quo fuerit firmior, & immobilitior, atque sacratior, eo erit melior. Vnde eadem testimonia, atque eadē rationes, quae probant obedientiam esse ex melioribus bonis, probant etiam votum eius optimum esse.

3.
De qua
obedientia
fit questio

Vt autem ostendamus obedientiam esse aptam voti materiam, supponere necesse est, hic non esse sermonem de sola illa obedientia, quae Deo, & praeceptis eius debetur, nec de illa sola, quae alioqui debita est hominibus habentibus veram iurisdictionem, aut potestatem ad praecipendum, & illa utentibus; nam de hac obedientia euidenter videtur, ac proinde non esse ex his bonis, quae dicuntur supererogationis, & consilii, sed ex his, quae necessaria sunt. De quibus bonis, & in vniuersum de obseruatione mandatorum, quomodo possint sub votum cadere, satis in superioribus dictum est. Praeter hanc autem obedientiam potest intelligi alia, in qua homo se subdit voluntati alterius in his, quae alioqui praecepta non sunt, possunt tamen licite & honeste fieri, nam si hanc conditionem non habeant, clarum est, non posse esse materiam honestae obedientiae, quia quae honesta non est, obedientia dici non potest. At vero in licitis, & honestis per se loquendo, etiam honestum est alteri obedire, seu eius facere voluntatem, quia actio ex parte materiae, in qua versatur, bona est, & non fit mala ex tali circumstantia, scilicet quod fiat ad obediendum voluntati alterius: ergo talis obedientia per se loquendo bona est.

4.
Obiectio

Dices, hinc solum probari esse bonam materialiter, si actio illa, quae praecipitur, alias bona sit, non ta-

men esse formaliter bonam, id est, ob illam specialem rationem, quod per illum actum fit voluntas alterius, & ideo inde non probari talem obedientiam esse aptam materiam voti, sed solum quod actiones illae alioqui honestae possint esse materiae voti, etiam propria sponte absque alterius voluntate factae. Nam quod fit ex voluntate alterius, qui per se non possit illas praecipere, indifferens quid est, & non reddit illas meliores: ergo ex hoc speciali respectu non sunt materiae voti. Nec satis est dicere, per ipsum votum fieri, ut talis voluntas habeat vim praecipi, & ideo explere illam, posse esse materiam voti. Non, inquam, hoc satisficit, quia votum debet supponere honestatē suae materiae, non facere: ergo id quod promittitur per obedientiam votum, debet supponi, ut habens specialem bonitatem supererogationis, & consilii, ratione cuius voueri potest: ergo illa non potest consistere in obligatione proueniente ex ipsomet voto. Accedit, quod intelligi non potest ex sola promissione fieri voluntatem alterius efficacem ad praecipendum, quae antea non erat, quia sine iurisdictione nunquam voluntas est efficax ad praecipendum, promissio autem, seu votum vnius hominis non dat alteri iurisdictionem.

Nihilominus dicendum est, obedientiam hanc quatenus est subordinatio, & subiectio propriae voluntatis ad alienam, esse ex bonis supererogationis, quae sub consilio cadunt, quod debet intelligi per se loquendo, & cum debita mensura, ac circumstantiis, quas postea explicabimus. Sic ergo probatur alterius ex verbis Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vende & vende omnia, quae habes, & sequere me*, nam duplex consilium in illis continetur. Vnum est paupertatis, de qua iam dictum est, aliud est sequedi Christum, quod esse videtur consilium obedientiae, quia sequi Christum, est ipsum imitari. *Sequi cur enim Dominum* (ait ibi Hieronymus) *quis imitator eius est, & per vestigia illius graditur*: Christus autem in obedientia, & per obedientiam vitam suam consummauit, factus obedientis usque ad mortem. ad Philip. 2.

Dices, eadem ratione posse per illud verbum intelligi consilium virginitatis, nam per virginitatem etiam Christum sequimur, quia illum imitatur. Respondetur in primis iam in eodem capite datum fuisse à Christo consilium virginitatis, ubi de Euanuchis voluntariis dixerat, *Qui potest capere, capiat*: ergo aliud est consilium, quod in illo ultimo verbo indicatur. Deinde alia consilia castitatis, vel paupertatis, veluti particularia sunt comparatione obedientiae, quae totam quodammodo hominis vitam complectitur, quia voluntatem ipsam Deo consecrat, quae principium totum humanarum actionum, consilium autem sequendi Christum, & imitandi ipsum, non est de vna, aut altera actione, aut virtute, sed absolute de toto vita instituto, & ideo obedientiae consilium appositissime explicatum est illo verbo sequedi Christum. Quod ipsemet Christus Matth. 16. explicuisse videtur, dicens, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*, illud enim tertium sequatur me, non est diuersum à duobus primis, ut recte Hieronymus adnotauit, quem alij sequuntur, sed est veluti explicatio eorum, aut conclusio in illis contenta: non enim diceret Christus, *Qui vult venire post me, sequatur me*, esse enim negatio quaedam, sed dicit, *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sic sequatur me*. Perinde ergo est, ac diceret, imitatur me abnegando seipsum, nihil autem est seipsum abnegare, quam suam voluntatem relinquere, ut diuina impleatur, quod est obedire, ut significauit Gregorius homil. 32. in Euangelia, & 10. in Ezech. & alij Patres infra citandi: ergo sequi Christum nihil aliud est, quam viam obedientiae profiteri.

Dices, esto hoc verum sit, hoc tamen satis impleti

per obedientiam mandatorum, quia talis esse debet, ut propter illam etiam propria vita, si necessarii fuerit, amittenda sit, & a fortiori quilibet alius humanus effectus superandus; quod reuera etiam est abnegare seipsum, & de hac abnegatione maxime videtur loquutus esse Christus in posteriori loco citato, ita ut abnegare se, nihil aliud esse videatur, quam Deum diligere plusquam se, & ferre crucem suam, idem sit, quod omnia incommoda, & mala pœnæ in hac vita occurrentia fortiter ferre, ne à diuina obedientia diffidatur: hoc autem non est consilium, sed præceptum: ergo hinc non potest colligi aliqua obedientia, quæ sit in consilio, sed solùm illa, quæ est in præcepto. Quod valde confirmant verba, quæ Christus subiicit: *Mat. 16. dicens. Quoniam voluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdidit animam suam propter me, inueniet eam, quid enim prodest homini si mundum viderit, sed animam suam perdidit, aut quæ dabit homo cõmütationem pro anima sua.* Quibus Luc. 9. adiungitur, *Nam quis me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Ex quibus omnibus constat Christum loqui de abnegatione ad salutem necessariam, atque adeo de re præcepti, & non tantum consilij. Respond. concedendo Christum citato loco *Mat. 16. & Luc. 9.* loqui de quadam abnegatione, & obedientia, quæ est in præcepto, ut argumentum factum cõuincit, & Chrysostr. & alij exponunt, quod nobis non repugnat, quia non inde immediate probatur obedientia, quæ est sub consilio, sed inde colligimus sequi Christum consistere in obedientia ad Deum, & ad ipsum Christum, propter quæ, & oēs affectus, & propria vita si necesse fuerit, abneganda sunt, quod necessarium ad intelligendum est de illa Christi sequela, quæ ad salutem necessaria est.

Ex alio vero loco *Matth. 19.* colligimus esse aliam Christi sequelam, quæ non est ad salutem necessaria, sed sub consilio ad maiorem perfectionem. Quod facile probari potest rationibus, quibus supra probauimus, ibi dati consilium, & non præceptum paupertatis: nam sub eodem tenore vtrumque proponitur. *Si vis perfectus esse, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, nam vtrumque;* proponitur post obseruationem præceptorum necessarium ad salutem, & sub illa tantum conditione, *Si vis perfectus esse.* Hinc ergo cum eadem proportione, & seruata eadem phrasi loquutionis colligimus præter obedientiam, & abnegationem necessariam ad salutem, esse aliam, quæ sub consilio proponitur, sub eodem verbo sequendi Christum, recte ergo de consilio obedientiæ verba illa interpretantur. Nihilominus subterfugere quis potest dicendo Christum in illis verbis, *Veni, sequere me,* cõprehendisse omnem vitam illius imitationem perfectam quoad fieri possit in omni genere virtutis, & in omni meliori bono, ac propria abnegatione, ideoque necessarium non esse verba illa intelligere de aliquo speciali consilio obedientiæ, imo neque esse aliud tale consilium, quod sub illo verbo cõprehendatur, quia neque ipse Christus talem obedientiam in hac vita professus est, sed obediuit ætæ Patri, quæ ex vi suæ humanitatis absque alia promissione facere tenebatur, nulli autem alteri obedientiam promisit, quod si illam exhibuit pariter, iuxta illud *Luc. 2. Erat subditus illi,* id non fuit ex speciali promissione, neque ex naturali obligatione, cum esset filius Dei naturalis, sed ob exemplum, & humilitatem, sicut etiam obediuit legi, & soluit tributum ob vitandum scandalum. Ex quibus ad summum colligi potest esse consilium obedire alijs in similibus casibus propter rationes extrinsecas, non vero pro eo quod ipsa obedientia, seu subiectio melior sit etiam respectu illius, qui alias superior est, seclusa hominis promissione, & voluntaria subiectione.

Propter hoc vterius addendum censo, Christum verbo illo *sequere me,* non inuitasse adolescentem illum

tantum ad suam imitationem in omni genere, sed etiam ad sequendum realiter, & corporaliter, ut sic dicam, se & actiones suas illi committendo, sed quod illi veluti in vnum corpus coniungendo, atque ut semel dicam, obedientiam illi præstando, non illam tantum, quæ ad salutem necessaria est, sed aliam specialiozem, & ad perfectionis viam assequendam necessariam iuxta discursum superius factum, qui hanc vltimam partem satis probat. Prior vero declaratur in primis ex eo quod supra diximus, discipulatam, seu hanc denominationem discipulorum Christi dupliciter in Evangelio accipi. Primò prout communis est omnibus in Christum credentibus: secundò prout erat specialis quorundam, qui singulari, & perfectiori modo Christo adhaerebant, eumque sequebantur, vel corporaliter eum comitadò; vel ei parendo. Sic Ioan. 2. dicitur, *Vocatus est Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Et infra: *Post hoc descendit Carphanæum ipse, & discipuli eius, & ibi manserunt non multo diebus.* Et infra: *Recordati sunt vero discipuli eius: ubi nomine discipulorum semper intelliguntur illi, qui specialiter Christo adhaerebant, eiusque doctrinam, & personam sequebantur, de quibus etiam Iudæi dicebant, Ioan. 7. Vt discipuli tui videant opera, quæ facis, &c.* Vt ibi indicauit Chryl. hom. 47. Ad hunc ergo perfectum discipulatam vocabat Christus adolescentem illum, cui consulebat, *Vende omnia, quæ habes, & sequere me.* Quod patet primò ex consonantia aliorum locorum, statim enim subiicit Petrus: *Eccce nos reliquimus omnia, & sequimur te, ac si diceret, iam nos fecimus, quod huic adolescenti consilis, clarum est autem Petrum loqui de illo speciali modo sequendi Christum, ad quem eos vocauerat *Mat. 4. Ipsi autem relictiis retibus sequuti sunt eum.* Et eodè modo vocauit Mattheum, *sequere me,* & surgens sequutus est eum. Intellexit ergo Petrum loquutum fuisse de hoc peculiari modo assumendi disciplinam eius in illo consilio, *Et veni, sequere me.* Quam intelligentiam responsione sua Christus probauit, dicens, *Vos, qui reliquistis omnia, & sequimini me.* Consonant etiam, quæ *Mat. c. 8. & Luc. 9.* ubi cum Christus euidè dixisset, *sequere me,* & ille respondisset, *Domine permiste michi primò ire, & sepelire patrem meum,* adiunxit Christus, *sine mortuis sepelire mortuos suos.* Vbi similia de alijs duobus narrantur. Ex quibus planum est, Christum per huiusmodi verba quatenus speciale consilium continent, inuitasse homines, quos sic vocabat ad illum perfectum modum sequendi ipsum corporaliter, alioqui nec exculatio illorum hominum esset ad rem, neque Christi responsio fuisset necessaria.*

Quod autem hic modus sequendi Christum specialem obedientiam includeret, præter eam, quæ est generalis præceptorum, per se euides videtur, quia enim ratione possent discipuli Christi cum ipso in vnum aggregari, nisi esset inter eos subordinatio, & obedientia: alioqui esset confessio, quod si ad ordinatum viuendi modum obedientia necessaria erat, clarum est in illo sacro collegio deesse non potuisse, atque adeo eam discipulos Christo Domino exhibuisse. Quam etiam ipsam nomen discipuli præferret. Vnde *Io. 13.* aiebat Christus, *Vos vocati me Magister, & Dominus, & bene dicitis, sum etenim;* recognoscebant ergo illum ut superiorem, & Dominum peculiari modo. Ac denique ex vtu ipso hanc discipulorum obedientiam in Evangelio legimus, nam illos mirrabat ad predicandum, & specialia præcepta, vel documenta dabat, quibus ipsi parebant. *Luc. 10. & c. 22. Misit Petrum, & Ioannem, dicens, cuntes parate nobis Pascha, &c.* & similia, quæ passim inueniuntur. Vocabat ergo Christus discipulos ad sequendum se per specialem viuendi modum, atque institutum, in quo sibi imperanti obediunt.

Præterea illam obedientiam, seu sequelam fuisse ita firmam, & citabilem, ut post consensum præstitum, non liceret ab ea recedere, ex eodè Evangelio colligi potest.

10. Obedientiæ ratione euidenter specialis apostolorum obedientiæ.

11. Obedientiæ apostolorum fuit etiam firma



test: nā ob eam causam dixisse videtur Christus Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad ararium, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Loquebatur n. ad quendam, q. se inuitauerat ad ipsum sequendum, ea speciali sequela, de qua loquimur, & de illo ait, si retrocedat eo ipso non esse aptum regno Dei, quo significatur, illū retrocedēdo peccare: ergo cōsequenter significatur illam sequelam futurā fuisse moraliter firmam, & stabiliē. Qui sensus probabilis est, & vtitur a Patribus, non tamē necessarius, vt late tractaui supra q. 88. a. i. in cōmentatio. Hoc ē confirmare videtur Christus Luc. 14. duplici parabola, altera de illo q. cōcepit edificare, & non potuit cōsummare; altera de Rege, qui pcedens ad bellū sine sufficēti copia & virtute, postea non audens congregi, adhuc longe existens, rogat q. pacis sunt nam p. hęc significat Christus, eos qui ipsum sequūtur nō posse nisi turpius retrocedere, donec rem p. ficiant, quā tamē non p. ficitur, nisi p. seuerando vsq. in finem: & ideo Theoph. exponens illam Christi promissionē, *Vos qui sequi estis me sedebitis.* &c. Mat. 19. interrogat, *Num & Iudas sedebit?* Et respōdet, *Non; dicit n. Qui sequi me fuerint, h. e. qui vsq. in finē, &c.* Vnde Act. 1. Iudas dicitur esse p. uariatus de loco ministerij Apostolici, p. uariari autem est deficere ab statu, ad quem aliquis obligatus erat.

11. *Allatate simonia non conuincunt.*

Sed hęc etiam omnia non videntur cogere, primō, quia in illo loco Luc. 14. probabile est Christū loqui de omnibus fidelibus ipsum sequentibus per fidē & obedientiam mandatorū, vt p. ccedenti libro tractū est, & consequenter possunt illā parabole ad oēs faciliē accommodari. Deinde quia licet eas accōmodemus ad eos q. incipiunt p. fectiōnem edificare, & hostes illius debellare, nō satis concluditur eos peccare vianē illā deferendo, & retrocedendo; sed ad summū minus constanter, & prudenter agere, q. potest esse sine obligatione p. manendi in illo statu, & absq. speciali culpa in eo deferendo: sicut nunc imprudenter agit qui sine sufficēti consideratione habitū religionis sumit, & paulo post illum deserit. Qui etiam non assequatur p. mium illud, *sedebitis super sedem,* &c. solum quia in eo statu non perseuerat, etiam si non perseuerando specialiter non peccet; quia illud p. mium accidentale est, & amitti potest sine culpa. Quod autē de Iuda dicitur Act. 1. p. uariatum esse de loco suo, licet grauem culpam indicet, non satis tamē conuincit illam fuisse positam solum in retrocedendo, vel Apostolico officio deferendo, cui esset speciali vinculo obligatus, sed eo maxime, quod tradēdo Christum, illum deseruit, & fingendo se sectatorem eius, aduersario illum tradidit, quod fuit proprie p. uariatoris munus exercere.

13. Sed licet ex dictis locis non colligatur euidenter Christi discipulos fuisse speciali vinculo obligatos ad p. manendum in ea Christi sequela, seu discipulatu, potest semel illi se conseerant: tamen dubitari non potest, quin eo animo illi se traderēt, vt perpetuō illi adhererent, & illud vitę ac p. fectiōnis genus profiterēt; nam ad hunc finem omnia sua relinquebāt, vendendo illa, & dādo pauperibus, si oportebat: que actio satis indicat animum perpetuō perseuerandi in tali viuendi modo, maxime cum etiā vxorum vsūm relinquerent, & p. p. uam castitatem amplecterētur, vt infra ostendemus. Itē ad hoc Christum sequebantur vt Euang. annuntiat, sic enim significauit Christus Luc. 9. cum dixit cui dā *Sine vt mortui sepeliāt mortuos suos, cu autem vade, & annuntia regnum Dei,* Et Mat. 4. in Apostolorum vocatione, *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Hoc autem munus non est opus vnius diei, sed vitam integram requirit.

14. Hinc autem fit satis verisimile discipulos ita fuisse Christum sequutos, vt in posterū manerent obligati ad obediendum illi & p. manendum cum illo: hanc

enim ob causam, res hęc tanquā fatis ardua illis p. ponebatur, quia erat res perpetua, quā semel inchoatam relinquere non licebat: nam si hoc liberum semper maneret, non esset adeo difficile illud vitę genus tentare. Et hoc significasse videtur Petrus cum dixit, *Marth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & sequimur te, quid ergo erit nobis?* nondum enim re ipsa sequuti erant Christum per totam vitę tempus, seu in eius obedientia per totā vitam p. seuerando, tamen quia proposito & obligatione se iam illi p. p. uo dicauerant, tanquā de re iam p. fecta, seu irrevocabili loquitur, & solū de p. mium interrogat. Deniq. Patres ita sentiunt de hac discipulorum Christi obedientia. Dupliciter autē illā declarare videntur, primō quod speciali Christi p. cepto obligati fuerint ad Christum ita sequendum, ei q. p. p. uo obsequendū ita loquuntur Hier. ep. 15. ad Algasia q. 8. dicens, *P. ceptum est Apostolo: Estote p. fecti sicut Pater vester cōcessit p. fectus est: Et in ita, Apostolo, non p. ueris p. ceptis, verum iam atas robustas, vt assumam p. fectiōnem.* Augustin. etiam lib. 2. de consensu Euang. c. 17. verbo subendi vitur, dicens, *Christum iussisse discipulos p. fectantes, vt eum sequerentur.* D. H. Saluianus li. 2. de Eccl. Cathol. vbi loquens de ministris Euangelij, quos Christus vocabat, *Eis inquit, Sa uator ipse in Euangelio non vt ceteris voluntarium, sed imperatū officium p. fectiōnis inducit, quid enim laico illi adol. sentis d. x. esse legimus? Si v. p. fectus esse, v. d. omnia que habet. & d. a pauperibus. Quid autem ministrum suū? Nō ite possidet aurum, neq. argentum, &c. Mat. 10. Videte quanta sit in v. troque hoc Dei sermone diuerfitas.*

Veruntamen ex ipsismet Christi verbis, *Si v. p. fectus esse, &c.* satis constat Christum Dominū non imposuisse proprium p. ceptum omnibus, quos ad se sequendum ita vocabat, nam adolefcentem illum ē vocauit, dicens, *Veni, & sequere me,* & tamen sub p. dicta conditione vocauit, *Si v. p. fectus esse;* licet ergo aliquando illam non exprimeret, semper subintelligit, sicut Luc. 9. ad quendam dixit absolute, *Sequere me, & vade, & annuntia regnum Dei;* cum tamen constet illud non fuisse absolutum p. ceptum, sed vocationem ad statum p. fectiōnis. Hieronymus vero, & Augustinus illo verbo vtuntur solum propter formam verborum Christi, qui aliquando per modum iniuantis, aliquando per modum inuocantis vocabat, vt, *Qui vult viuere post me, aut, Venite post me.* Videtur autem in hoc posteriori modo ferē semper indicari efficacitā vocationis, que non in speciali aliqua obligatione assumendi p. fectiōnis viam, sed in congruitate, & efficacitate gratiæ, posita erat; & ob eam causam potest etiā imperium vocari, sicut dicitur etiā Christus imperio suo mita opera fecisse. Saluianus autem loquitur de imperio non antecedente, sed consequente, vt sic dicam, id est, non de imperio assumendi statum p. fectiōnis, sed referuandi, & retinendi p. uertatem in illo statu semel assumpto.

Hęc ergo firmitas, & necessitas, non proveniebat ex solo Christi p. cepto speciali & politico, sed ex p. uoluntaria professione obedientiæ includente p. missionē explicitam, vel implicitam p. manendi in illa. Quod expresse docuit D. Th. 2. 2. q. 186. a. 6. ad 2. vbi ita concludit, *hęc autem immobilitas sequela Christi firmatur per votum.* Et loquitur de hac sequela et p. uoluntate facta est ab his qui personaliter Christum ipsum sequuti sunt. Et idem sentiunt oēs Doctores, qui alserunt Apostolos emisisse tria vota essentialia religionis, quos infra commemorabimus, & de voto p. p. uatatis aliqua dicta sunt lib. 3. & de castitate lib. p. ccedenti; non est autem minor ratio de promissione obedientiæ; imō multo maior, quia restituta ad hoc ordinabantur tanquam media ad finem: ideo enim futuri Christi discipuli renuntiabant omnibus bonis, & voluptatibus corporis, vt essent expectati

ad obediendum ipsi præsertim in annuntiatione E-
uangelij.

Adhuc verò dicere potest aliquis. Esto fuerit opti-
mum consilium personaliter sequi Christum vocan-
tem, illi perpetuum obedientiam promittendo, non
posse inde colligi nunc et esse bonum similem obedi-
entiam promittere alicui homini. Est n. magna differentia
inter Christum & quemcumq; alium purum hominē:
tum quia Christus Dominus non potest errare in præci-
piendo, neq; ex malitia, neq; ex ignorantia, sed semp
inonget subdito id, qd melius, & salubrius illi est, ho-
mo vero utroq; modo errare potest precipiendo, vel in-
utilia, vel quæ magis impediunt, q̄ iuuvent ad salutem:
tum etiam, quia Christus est absolute omnium Do-
minus, etiam in quantum homo; & ideo si absoluta
potestate uti voluisset, sine dubio potuisset per
proprium imperium obligare quos uellet ad se sequen-
dum, & perpetuo militandum sub obedientia sua, etiã
in operibus, & ministerijs perfectionis; & ideo quã-
uis ipse pro sua humanitate noller tanta uti potestate,
sed solum volentes inuitate ad societatem secum in-
eundam, optimum consiliū erat inuitanti cōsentire,
etq; obedientiam promittere. Alij verò homines (se-
cularia potestate iurisdictionis, de qua nō agimus) nec
superiores sunt, nec re & potest alios inuitate, ut si-
bi obedientiam promittant: ergo talis obedientia
non potest conferri cū illa quæ Christo offerrebat,
neq; ab vna ad alteram potest argumentum fieri.

Nihilominus Doctores sancti semper intellexerūt
quæ Christus in hoc negotio, & egit & docuit, non
pro illo solo tempore, nec pro his solum qui Christo
Domino obtemperarūt, fuisse tradita, sed fuisse nor-
mam, & exemplum eorum, quæ perpetuo in Ecclesia
duratura erant, & tanquam meliora fidelibus consu-
lenda. ita exposuit Basil. sermone de abdicatione re-
rum, illa verba Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis,*
quæ de uocatione ad statum paupertatis & obedi-
entia intelligit, & ideo inferius statum religiosum vocat
Sanctorum Christi discipulorum militiam, & in constit.
monast. c. 19. de monach. ita loquitur: *Hi veri imitatores*
sunt saluatoris nostri, eiusq; viam, quam inter nos duxit: quæ
admodum enim ille coactio Apostolorum choro cōmunis can-
titæ, sed ipsam communem Apostoli præbuit, ita hi quoq; an-
tiq̄tati suo obtemperantes genus viuendi Apostolorum imitan-
tur ac Domini: & c. 23. Christum, ait, ad hoc elegisse dis-
cipulos, ut per eos sp̄m relinqueret futuræ posteritati. Idē
finitur ex Augustino lib. 2. contra Iulianum Petil. c. 104
& 17. de Ciu. c. 4. & ex omnibus Patribus vbiq; que
exponunt verba Christi sæpe citata: Si vni perfectus esse,
vade, & vende omnia quæ habes, & sequere me. Et, Qui vult
venire post me, abneget semetipsum, &c. Et, Omnis qui reli-
querit patrem, &c. Nam & multa ex his verbis vniuer-
salia sunt, quæ proinde non restringuntur ex vi, & prop-
rietate sua, ad p̄sentes, qui tunc aderant, sed ad oēs,
qui consilia Christi sequi voluerunt, extenduntur, &
materia ipsa talis est, ut ad omnes pertineat: ergo etiã
doctrina. Vnde etiam promissio illa Matt. 19. Vos qui
sequi estis me, sedebitis super sedes, &c. quæ considerata
forma verborū ad Apostolos dirigi videbatur, à Pa-
tribus intelligitur facta omnibus, qui in statu perfe-
ctionis Apostolos imitantur, ut videre licet in Augu-
stino epist. 89. q. 4. & Pl. 49. & 121. Hieron. epist. 28. ad
Lucinium, & alijs quos supra citauī. Differentia autē
inter Christum & eius ministros assignatæ nihil ob-
stant: nam ipse dixit hominibus locum eius tenenti-
bis, Quis vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.
Vnde Basil. dict. c. 23. constit. monast. Nihil aliud (in-
quit) est aut̄ sc̄s, quam si qui personam Christi sustinet, &
sequeretur est inter Deum & homines, &c. Quocirca non
quæ uidet obedientia homini præstita, sed illa, per q̄
perfectionem pertinentia computatur, inter illa, per q̄
aliquis loco Dei & Christi assumitur, ut in via perfe-

Er. Suarez de statu relig. tom. 3.

ctionis hominem dirigat, & adiuuet. Quod sine du-
bio utilissimum est, & moraliter necessarium: nam ut
ibidem Basilus subiungit, *Res omnium difficilissima est se-*
ipsum cognoscere, & curare, propterea quod naturaliter se ip-
sam quæq; amat, & quilibet propterea quod in seipso propen-
sus est, in veritate iudicio saluatur: porro ab alio cognosci, cu-
rarique facili est, & cætera quæ prosequitur, multa &
magna huius obedientia commoda enumerat.

Neq; obstat, quod huiusmodi persona errare pos-
sit, hoc enim probat feliciores fuisse qui Christo ipsi
obedientiam in hac vita præstare potuerunt, non ta-
men probat hoc genus obedientia ob eam causam
contemnendum esse; alioqui omne humanum regimē
vitandū esset; quia in eo semper homines errare
possunt. Eo vel maxime, qd Basilus in eisdem constit.
monast. c. 22. late prosequitur, moraliter timeri non
potest, quod spiritualis Prælati ex malitia erret in
spirituali subditi directione; & quãuis id aliquando
contingat, accidentarium est; unde non debet ob eã
causam obedientia bonum infamari. Præsertim, quia
si error talis sit, ut aliquid contra bonos mores præci-
piatur, talis iussio nec obligare potest, nec sub
promissione obedientia continetur: si vero non est con-
tra bonos mores, semper poterit in spiritualem perfe-
ctionem obedientia redundare, si per ipsum non ster, &
ita huiusmodi error nunquã erit impedimentū p̄-
fectionis acquirendæ. Sed de hoc latius infra tractan-
do de obedientia religiosa. Altera vero differentia in-
ter Christum & alios Prælatos nihil ad rem præsentē
facit; quia ipemet Christus viuēs in hac vita mortali
homines vocabat ad obediendum sibi. Ex tunc etiam
generaliter vocauit omnes ad uoluntariam obedi-
entiam præstandam Prælati locū ipsius Christi tenen-
tibus, & nunc etiam vel interiorius per seipsum, vel etiã
exteriorius per suos ministros, multos vocat ad hanc
perfectionis viam proficendam.

Atq; hinc facile sc̄i fieri potest difficultati in prin-
cipio positæ, in qua postulabatur, quam bonitatem
obedientia habeat, prout supponitur ad votum obedi-
entia. Dicitur enim in primis non semper esse ne-
cessarium ad materiam voti, ut specialem honestatē
alicuius virtutis habeat, quatenus ad votū supponit;
sed satis esse ut sit res utilis ad virtutē quamcumq;
disponendo hominem, vel tollendo impedimenta
virtutis. Sic n. paupertas per se spectata non habet in-
trinsecam honestatem, nec est actus, vel materia alicuius
virtutis specialis, & tamen quia est utilissima ad
perfectionē acquirendā, ideo sub ea ratione est apta
materia voti. Sic ergo dici potest de obedientia qua-
tenus est propria voluntatis renuntiatio, & subiectio
ad voluntatem alterius, alioqui iurisdictionem non
habētis, hic enim actus per se spectatus ante promissio-
nem non habet aliquam intrinsecam honestatem
specialem, licet possit esse imperatus ab humilitate,
vel ab alia simili virtute; per se tamen est utilis ut ho-
mo conuenienter dirigatur in exercitio virtutis, præ-
sertim in via perfectionis, in qua nō solum præcepta,
sed etiam consilia executioni mandata sunt. Nā cum
hæc non sint per præceptum determinata, nec pos-
sunt omnia ab omnibus impleri, necessarium est pruden-
s arbitrium, in quo melius vnusquisque ab alio
dirigatur, quam a seipso, propter rationes superius à
Basilio datas.

Hinc dicitur vltimus quod licet materia huius vo-
ti, ut ad illud supponitur, nondum habeat in se actū
honestatem obedientia virtutis, habet tamen pote-
statē, quod satis est, ut adiuncta promissione actus il-
le incipiat habere illam honestatem. Quod sic decla-
ratur, nam ante votum hic non est mihi superior, &
ideo nondum habet locū propria obedientia circa il-
lum; per promissionē autē qua me illi trado, ac subie-
ctio, mihi illum superiore cōstituto; & ideo iam habet

locum erga illū obedientia. Vnde actus ille promittendi & assumendi alium in superiore & Prælatum, proximè & ex obiecto non habet honestatē obedientiæ, neq; ab ea virtute elicitur, sed à religione, cū illa promissio fiat in Dei cultum, eo q̄ ad perfectionem assequendam utilis censetur. Nihilominus tamē ex fine participat ille actus honestatē obedientiæ, quatenus ex amore illius procedit; ideo enim quis hunc assumit vt superiore, vt in omnib. suis actibus possit obedientiam exercere; & idcirco, quamvis encomia, & laudes obedientiæ, quæ in Scriptura & Patribus leguntur, propriè dici videantur de ipso vsu & exercitio obedientiæ, quale est illud i. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victoria*, & similia: nihilominus etiam conueniunt in hunc actū, qui ad tale exercitium voluntariæ obedientiæ supponitur, sc. voluntariam subiectionem huic personæ promissione firmatam: nam in hoc actu dixi virtute, & quasi in radice tota honestas obedientiæ continetur, & intenditur: vnde in illum optimè quadrat ratio tradita à Gregor. li. 35. Moral. c. 10. ob quam obedientia victimis præfertur, *Quia per victimas, inquit, aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria maciatur*: hoc enim sacrificium propriæ voluntatis maximè fit in eisdem voluntatis subiectione, & promissione: vnde in illam etiam conuenit seruata proportione, q̄ de virtute obedientiæ idē Gregor. eodem loco dixit talem esse virtutē, *qua sola virtutes menti inserit, inserit atq; custodit*: nam hoc etiam suo modo facit hæc voluntaria subiectio ad aliquem loco Dei constitutum, nam illius prouidentia, & cura, & diuino auxilio per illum tanquam per Dei ministrū præstito, virtutes facilius acquiruntur, & conseruantur, vt elegatè Basiliius in locis supra citatis declarat. Neq; huic efficacitæ talis promissionis obstat, quod p̄ illam non detur propria iurisdicctio ei, cui obedientia promittitur, satis est enim q̄ acquirat, vel ius ali quod dominatum, quale est domini in seruum, vel patris in filium; vel quod acquirat potestatem exigēdi materiam illam vt Deo debitam ex vi promissionis, quæ omnia latius in sequentibus exponemus.

22. *Difficultas de obedientia simpliciter.*

Vna vero superest difficultas propria huius dissertationis, in qua specialiter de voto obedientiæ omnino simplici inquiritur; & quæ hæcenus diximus ad summum persuadent obedientiam similit̄ obedientiæ discipulorū Christi, esse laudabilē, & voto consecrabilem. Huiusmodi autē solum est obedientia religionis, in qua plures sub vno capite Christum representantes congregantur: ergo inde probari nō potest esse consilium extra hunc statum obedientiam alicui promittere: imo neq; esse bonū, aut tutum, quia tunc non potest assumi aliquis tanquam Christi vices gerens vt ei obedientia promittatur: nullus n. potest in Ecclesia vices Christi gerere, qui auctoritate, & potestate publica non sit ad tale munus destinatus, quod in p̄senti non seruatur, sed solū priuato iudicio, ac voluntate eligitur p̄sona, cui talis promissio fit. Et ob eandem causam non videretur tuta talis promissio, cū solo priuato iudicio, & non aliqua publica approbatione nitatur: non est ergo hæc obedientia apta materia vt per tale votum Deo consecratur.

23. *Obedientia simplex est honesta, & laudabilis.*

Nihilominus dicendum est etiam hanc promissionem ex suo genere optimā esse, si cum debitis circumstantijs fiat. Hoc n. satis persuadet Ecclesiæ consuetudo: solet enim sæpe tale votum fieri à virtis pijs extra religiosum statum, quod iudicio omnium prudentum laudabile est, & per se loquendo, obligat. Et licet ad proprium statum religiosum necessaria sit ecclesiæ approbatio specialis vt li. 2. ostendimus, nō tamen esse necessariam ad omnem viuēdi modū participantem, seu imitantem aliquo modo illum statū, aperte sentit Caiet. 2. 2. q. 183. a. 1. & Nauart. comm. 1. de Regular. Vnde fit vt sæpe in aliquo viuēdi modo,

vel ab aliquibus personis emittantur tria vota, paupertatis, castitatis, & obedientiæ sine speciali approbatione Ecclesiæ, quæ nihilominus vera sunt, & valida, licet purè simplicia, vt Nauart. etiam dixit. comment. 1. de Regular. sæpius docet. Quocirca omnia quæ de obedientiæ honestate diximus, ad hoc simplex votum applicari possunt: nam etiam tale votum fit homini, vt vicem Dei tenenti, vel è contrario fit Deo, vt homo nomine ipsius præcipiat quæ ad maius animæ bonum expedire iudicatur.

Neq; ad hoc necessarium est vt talis persona potestatem aliquam ab Ecclesia habeat, quia non per potestatem iurisdictionis, sed per potestatem dominationis præceptura est, q̄ potestatem ab ipso metu uolente priuatum accipere potest. Neq; est etiam necessarium vt habeat aliquam publicam, seu authenticā approbationem, quia tale etiam votum non est publicum, sed priuatum. Satis ergo est quod prudenti iudicio, sine morali probabilitate talis persona apta & habilis existimetur, vt ei possit aliquis curam animæ suæ per specialem obedientiam committere. Regulariter autē tale votum securius fit respectu alicuius, qui pastoralem curam in Ecclesia habet, vt si seculari quisquam suo Episcopo specialem obedientiam voueat, vel alicui Prælo alicuius approbatæ religionis, vel fieri etiam potest parrocho, aut discretio cōfessori; quanquam tunc securius fortasse erit votum facere respectu huius, vel illius personæ in individuo, cuius virtus, & prudentia probata esse possit, quam generatim respectu cuiuscunq; Confessoris. Deniq; hęc non descendimus ad particulares circumstantias, ex quibus in quocunq; voto potest aliquando esse periculum: satis ergo est quod actus ex se, ac prudenter factus bonus, ac religiosus sit.

CAPVT II.

Virum simplex obedientiæ votum habeat coniuu- etiam promissionem homini faciam, & è contrario.

Ratio dubitandi est, quia licet votum hoc Deo fiat, non tamen fit de obediendo ipsi Deo in se, sed de obediendo huic, vel illi homini: ergo necessario includit promissionē homini factam propter illū, quæ fit Deo. In contrarium autē est, quia si ibi esset aliqua promissio humana, illa sufficeret, vt promittens maneret obligatus ab obedientiam tali homini: ergo promissio obedientiæ, etiam si fit de obedientia spirituali, vt sic dicam, nō est verum votum, sed humana promissio: sicut qui promittit alicui facere pro illo factum, quamuis rem sacram promittat, non facit votum, sed humanam promissionem.

In hac re prima sententia esse potest, semper in hoc voto interuenire duas promissiones, humanā, & religiosam; ex quib. humana est veluti materia religiosæ, promittit enim homo homini obedientiam Deo, aut promittit seruire fidelitatem in obedientia, quā illi promittit. Ita videretur sentire D. Th. q. 88. a. 3. ad 3. vbi sic inquit, *Votum sibi Deo fit, sed promissio etiam potest fieri homini, & ipsi promissio boni, quæ fit homini, potest cadere sub voto; & per hunc modum intelligendum est votū, quo quis vouet aliquā Prælatis, vt ipsa promissio facta Prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet obligat, vouet Deo se impleturum quod Prælatus promittit.* Atq; idem sentit Caiet. in fine illius articuli; qui consequenter inserit in transgressione huius obedientiæ promissæ duas esse malitias, vnam contra religionem ratione voti Deo facti; aliam contra fidelitatem humanam: nam licet hanc posteriorem dicat esse contra obedientiam, non loquitur de malitia formaliter opposita speciali virtuti obedientiæ, sed de malitia opposita fidei debite homini in ratione promissionis, vt ex discursu eius manifestè constat: sed quia illa promissio fuit de obedientia